

inde Veneto nomini gloriam reportavit. Filium ex Fælicia conjuge unicum habuit, quo nato uterque perpetuam Deo vovit castitatem. Interim ea innocentia Rempublicam administravit, ut ex ejus regimine appareret, permisisse se Principem creari, non tam ut præcesset Reipublicæ, quam ut ex adepta dignitate prodeisset.

Pacatior itaque rerum status turbulentissima illa cæsi Ducis tempora exceperat, nisi pauci, qui furiosi illius Candiani regiminis & auctores & ministri fuerant, civitatis ocia turbare cœpissent. Horum suasu Vitalis Gradensis Antistes, quem adhuc puerum prætextu religionis a patre abdicatum diximus, in Galliam ad Othonem secundum profectus est: ubi multa de infanda Petri genitoris sui morte questus, rogarere cœpit, ne illius cædem inultam esse sineret: quippe qui ipsius & hospes olim & necessarius fuisset. Potuisse fortassis illum jure cæsum videri: at fratrem, quem infantem adhuc in ejus amplexu crudeliter interfecissent, videri non posse. Accedere ad id exilium suum vel ipsis hostibus miserabile, in quo sibi senescendum sit, atque a patrio solo quam longissime moriendum, nisi aliena ope in eam civitatem restituere tur, unde suorum civium injuria esset ejectus. Moverunt ejus lachrymæ Othonis animum, familiariterque hospitis sui calamitatem indoluit: facta igitur spe reditus in patriam, bono animo esse jubet, atque penes se tantisper in hospitio esse, donec in civitatem esset restitutus: quod ut brevi fieret, pollicitus est se enixe curaturum. Vvalderta interim, Vitalis novverca, privigni exilium secuta, ad Adheletam Othonis conjugem, quæ tum Placentiæ erat, transfugit: in cuius gratiam non multo post bona Principis ac populi venia in patriam restituta est.

Operæ precium est breviter cognoscere (quia & hoc ipsum ad institutam historiam attinet) quibus casibus jaçamat Adheletam ad fastigium imperii, unde morte viri exciderat, restitui contigerit. Nupferat hæc virgo adhuc Lothario Imperatori, qui Veneti nominis amicissimus fuit. Eo defuncto, Berengarius, qui Veronæ Imperator declaratus fuerat, Adheletam in Gardensem arcem, unde nobis

976

Vitalis, An-
dices Gra-
densis Can-
diani cæs-
filius, ad O-
thonem Im-
peratorem
transfugit,
ejusque opere
implorat.

Walderta
Vitalis no-
verca ad
Adheletam
Othonis con-
jugem con-
fugit.

Adheleta
quos fortu-
na casus ex-
presa sit.